Wojewodzki Pauli Joan: Laurus Seraphica
Divus Bonaventura.

LAVRVS SERAPHICA;

DIVVS BONAVENTVRA DOCTOR SERAPHICVS,

Suæ Anniuersaria Solennitatis Die,

IN REGALI BASILICA SERAPHICI PATRIS,

D. FRANCISCI

CRACOVIÆ,

Publico Eloquio

CELEBRATVS.

A

M. PAVLO IOANNE WOIEWODZKI,


Philosophiæ Doctore & Professore.

Anno Plantatæ inter mortales Diuinitatis,

M. DC. LX IX. Pridie Iduum Iulij.

CRACOVIÆ,

Apud STANISLAVM PIOTRKOWCZYK, S.R.M. Typogr.



Quomodo lucem noctemque, omnibus hominibus, ita omnes terras, fortibus Viris, natura aperuit.

C. Tacitus. Histor. Lib. IV.

Illustrissimo & Magnifico Domino,

D. IOANNI BONAVENTVRÆ

IN KRASNE,

KRASINSKI,

Referendario Regni Supremo, Varsauiensi, Przasnicensi, Nouomestensi, Lucimensi, &c. &c.

CAPITANEO,

Colonello & Rothmagistro S. R. M.

Domino & Patrono Amplissimo.

LAVRVS & CORVVS *Apollini Sacer,* ILLVSTRISSIME AC MAGNIFICE DOMINE. *TIBI cum vtroque ipsemet Apollo, ratus capitale piaculum esse, si Tanto Nomini, Sacra non instauraret. Et diu est cum* CORVVS *cæperit esse TVVS, adhuc in Quirinalibus, cum nascente Roma, nidificans montibus: in Alpinorum tandem, Pannoniorum, Dalmatarum, & vltra Danubium latitantium populorum oras, præuia fortitudine, inuolauit gloriosè, cuius Summæ pracelsorum facinorum capacitatis, Spatiosæ illæ, cum non essent capaces regiones, egregio nisu, super latiores Polonorum Campos Volitans, bellatricibus Aquilis Sarmaticis, famâ fortitudinis, Vniuersum Orbem præteruolantibus, suum adiunxit robur, fidemque tot Sæculis intaminatam: grandi Regum Poloniæ, Ducum Masouiæ emolumento; dum eò altiùs ad sublimia quæuis audenda, & aggredienda pernicibus alis, ad volatum, curis publicis, pernecessarium, promptis ac expeditis, efferretur: quò ampliora suæ alacri magnanimitati, paterent inuitamenta. Secutus eum pharetratus Apollo, in TVA florentissima literis, fulgentissima armis Domo, Parnassum adinuenit, tantò eminentiorem Gorgoneo, quantò æquè fortissimis, ac eruditissimis* CORVINIS *præstantiorem,*

quem

quem ita commodum & accommodatum sibi expertus est; vt ne nostris quidem temporibus [quando multùm literis, de pretio amoreque, apud multos decessit] cogitet ex illo descendere migraturus. Properat huc & SERAPHICA LAVRVS GENTILITIO ALITI TVO, non contra vnum tantummodo Chamæleontem, bonæ alterius famæ aurâ viuentem; sed contra quosuis venenatos, inuidiæ flammis ardentium Scorpionum morsus, præsentissima ferens antidota. Non carpet vnquam de fabulosa palma, excrescentes in manu Delphicæ Deæ, mendaces aureos fructus, HEROICA VOLVCRIS TVA habitis Domi Suæ Verè saluberrimis baccis, de Cælesti solo allatis. Nestereos profectò, annosus PRÆPES TVVS, multiplicabit annos, longæuæ insidens triumphali Arbori: cùm illi præterea Sacrum Immortalis Numinis, de morte trophæum, immortalia Spondeat Sæcula, eò certiùs, quò formiùs GENTILITIO ANNVLO TVO æternùm desponsata: ipsâ demum EQVESTRI SOLEA à continuo Virtutum vsu splendente, iter vt ad publicos honores, in Republ: ita ad perennitatem in omnium memoriâ complanante. Perfecta hæc Magno Nomini TVO Victima est, quia trina: neque Sacrificuli de Flaminum plebe postremi, sed TVO Signata ANNVLO, ideoque integra, ab infestis Harpijs intacta: eeu firmissimum CORVINORVM adorationis argumentum, quod euidentissimis, antiqui cultus, constat Præmissis, tum Româ veluti à PRIORI, à CORVINIS, valentissimis gloriâ virtuteque Valerijs, tum ex Hungaria à Ioanne Huniade Othomanici belli furore, eiusq. Filio Matthia ad Regium Hungarorum Diadema euecto, assumptis; quibus adeo necessarijs, nulla ætas solam probabilitatem adstruxit vnquam, adstruetue; cum ex intrinsecis locis Sarmaticis, validè admodum confirmentur, vt nihil prorsus à præscindente alienas laudes Momo, in oppositum queat afferri. Affirmatiuæ immotus adhærebit ille, cuius non peregrinantur aures, clarè canentibus Lechicis Annalibus, Magna & præclara multùm, KRASINSCIORVM Nomina: feruidum quisque propugnatorem, in expugnabilis veritatis aget, nisi inuidum oppugnatorem, per vitiatam consuetudinem, agere sinè laude maluerit, audiens celebrari Solenniter, Illustrissimos Franciscos, Infula Cracouiensi, Ducatu Seueriensi; celebribus ad Vaticanos Antistites, legationibus præcellentes, Albertos vbique Magnos, Stanislaos vbique laudabiles, Andreas vbique Viros, tum in toga, tum in sago, quorum inire censum, est Solis radios percensere; Vnus omnium det compendium Illustrissimus Parens Tuus, eximij Ciuis, nobilissimum axemplar, in TE viuâ suorum præclarè gestorum Idea, non moriens. Eo enim Parente genitus es, qui innatum CORVINIS in Patriam amorem, in omnes comitatem, in singulos munificentiam, TIBI per omnia simili, heroicis actis suis imagini, præferenda reliquit, ne ad Successionem Auitæ gloriæ, studio destituaris: quandoquidem CORVINORVM est, KRASINSCIORVM est, ad Sublimia honestatis euolare, & præalta dignitatis cacumina possidere. Plurimos humi Serpentes & inglorios, damnosa obruit iam, obruetque vlterius obliuio: NESTOREVS KRASINSCIORVM PRÆPES, nunc super latam Polonorum planitiem laudabiliter volitans, nunc SERAPHICÆ LAVRI insidens Vertici, in temporum æternitate, narratus posteritati constanter est permansurus.

Non morituro Magno Nomini Tuo

Subiectus,

M. Paulus Ioannes Woievvodzki.

PANEGYRICVS.

SEraphicæ Religionis Hortum, triplici Voto Conclusum, Diuinitatis delicium, immortali plantatum excultumuè dextera, lætus hodie ingredior, letales Sirij æstus declinaturus. A D: Iuuat in tam felici amœnitate, tristes curas deponere, & solicitæ obliuisci anxietatis: delectat per adeo florida Tempe, cogitationes, dulcissima libertate, errantes diffundere, & corpus suauiter exercere. In ipso quippe aditu, augusta cælestis huius Paradisi maiestas, percellit oculos, animumue stupentem exhilarat, quâ florum varietate nitens, quâ arborum præstantiâ eminens; Nihil hîc profanum floret, nihil à pura Religione alienum viret: omnia diuina, Sacra omnia, in omnium incurrunt obtutum, quæ vt deuota amœnitate, mentes recreant, ita ad pium sui cultum, & Venerationem inclinant Spectatores, tantùmque eliciunt laudis & amoris, quantùm totum in orbem diffundunt benefici odoris, eò magis grati, quo plus de cælestibus, nihil planè de terrestribus spirantis. Non inuideo potenti Epiro, Dodonæum lucum, sola tantùm Superstitionis caligine clarum, Ioui dicatum, in quo vocales arbores, & fatidicas columbas, fecundum ad fabulas Poëtarum ingenium, aluit, celebrauit, delirijsque circa Diuina innexam antiquitatem, ad diuinum cultum prouocauit. Seraphicus Paradisus, tantò clarior, quantò diuinitati, ipso nomine propior, tot vocalibus fecundus arboribus, quot sonora per longè latèque porrectum, terrarum orbem, cælesti doctrina, cumulatis Viris, desperatam inspirantibus, deprauatam reparantibus, æternam prædicentibus, ac prædicantibus Vitam, dignè gloriatur: quot suauiter modulantia, munda extra mundum, ante immaculati Thronum Agni, agmina sistit numerosè: tot item fatidicas, absque felle & fraude alit columbas, rectitudinis morum, & conscientiæ exemplaria: quot thaumaturgos ANTONIOS, irrefragabiles ALEXANDROS, quorum egregiæ artis est, non Gordios dissecare nodos, sed sublimis, arcana Scientiæ, stupendo reserare ingenio: quotque Subtilium Phœnices Doctorum Scotos, Principes Nominalium Occhamos, Vniuersis mundi partibus, parit abundè & profert gloriosè. Non est iam cur tantopere doleamus, exitialibus

obrutum Vndis, & memorabili adhuc, ſublatum an oblimatum diluuio, Paradiſum, primorum Parentum, primum domicilium, & graue lacrymabilis exilij principium ; plantauit vtique potens dextera, Præpotentis DEI, alium tempore quidem poſteriorem, aſt immortalitate digniorem, Seraphicum Hortum, quem ſui amoris muniuit ſepſitque flammis, ne vnquam inimicis obruatur aquis : quoniam cōtraria, aduerſante vi reprimuntur, & opprimuntur. Neque verò ignibus Septum Viridarium hoc, ita fluido aduerſatur elemento, vt ipſo tantùm cæleſti, nutriatur foueaturq; calido, etiam illud irrigatur affatim, vt æque ſimul ardeat, ac vireat, ad æmulationem rubi Moſaici, ardentis, virentis tamen & incombuſti: irrigatur inquam ſalientibus vberrimè, in vitam æternam, quinq; fontibus in D. Patriarcha FRANCISCO Signatis ; vbi damnoſa ariditas, inediæ famiſque mater, inſueta morari, ſola fertilitas, & Spiritualium, grandis vbertas frugum, ſurgit velociùs, matureſcit præſtantiùs, durat conſtantius non leue fontium vtilitatis argumentum. Adhæc Sacrata, oro pauliſper Subſiſtite fluenta, pium ad ſuperna magis potiùs in Vobis accēſuri, quàm exſtincturi deſiderium, non libando, fomentum ſitis, Lycum in Indijs, aut huic ſimilem per naturam, in Epiro torrentem : cæleſtis quippe dulcedo, quantò largiùs hauritur, tantò feruentiùs ſititur, cæterùm in ipſo ardore, efficax latet refrigerium : quod itidem ſilens vmbra, & amabilis aura, ſi eam, intra ordinatiſſimam congeriem, virentium religiosè arborum, captare libuerit, dabit confertim. Mihi etenim conſilium eſt, in tam amœno, Diuinæ voluptatis Paradiſo, Laurum Seraphicam, Doctorem Seraphicum, D. BONAVENTVRAM, immortali hodie proponere laudi, eius ortum, incrementum, fruges nitidas, incondito licet celebrare eloquio : idq; tantò feliciùs exequendum cenſeo, quantò alacriùs titubantem ſermonem, ſtabilis firmaque in beneuolentia, attentio Veſtra, comitabitur. quanquam ipſa Horti, Votis concluſi, præſtãtia, decor & amœnitas, non naturæ beneficio producta, ſed prodigiosè impertita deſuper, non curioſæ artis æmulatione, affabrè elaborata, ſed Æterni rerum Opificis DEI, operâ mirabili, ad ſtuporem formata, moram tædioſam, ab eruditis mentibus Veſtris, faciet exulare : iuuabit multùm non tam inconditam vocem, ſermonemque dicentis inſipidum attendere ; quam rei dicendæ eximia ſuauitate oblectari.

Natale

Natale quodque ſolum, peculiari, vniuerſalis naturæ priuilegio ſponte, an quopiam fato, fruitur, gaudet, erudit, non æquè feliciter omnibus in terris, eadem prouenire, naſci, oririque. eſt namque ingenita, perennis, ac hereditaria, cuiuis plagæ indoles, quam tum in homines, tum in plantas, arboresue, hic largiùs, parciùs ibi diffundit; hic variæ herbarum arborumque Species, vltro, amoto improbo labore emergunt, diſtinctas virtutes & facultates ſortiuntur, ramos latè, propagant, denſiore fronde, ardenti Soli obſiſtunt; ibi vix humi ſerpentes, & tangentium ſe ſe manuum vltrices prodeunt vrticæ, vnum altæ dodrantem: ægrè infelix lolium aſſurgit, & ſteriles auenæ metuntur. argumento eſt Latinus Homerus, Vates Mantuanus;

- - - - Non omnis fert omnia tellus,
Fluminibus Salices, craſsisq́; paludibus alni
Naſcuntur ſteriles, Saxoſis muntibus orni,
Littora myrtetis lætiſsima. - - - - - -
Hic ſegetes, illic veniunt feliciùs vuæ.

Miranda profectò hæc, naturæ, in diſpenſandis donis, Virtutibuſque norma, dum alijs mundi plagis, beneficam ſe ac liberalem Matrem, alijs tenacem & iniurioſam videtur præſtitiſſe nouercam; vt vel tunc maximè æqua appareat omnibus, cum in largiendis muneribus, nec æquitatem colat, nec ſeruet æqualitatem. O quàm Nobilem terræ partem, Laurus Seraphica nacta eſt ac ſortita! quæ Nobilium ferax germinum cum eſſet, ſterilis gloriæ, nullo æuo exſtitit. Illam illam nimirum Regionem! quæ antiquitus à primo ſui Ortu, ante reliquas pæne, conterminas, rara felicitate præcedebat, docta eruditaque ingenia, Latino imperio abundè ſuppeditando: Vbi Themidi & Palladi, non interpellatus honor, Marti & Bellonæ ſerius cultus habebatur: Vbi Cæleſtium prodigiorũ notitia, & ſublimes floruêre artes, hodie vſq; non marceſcentes; vnde Conſulibus Romæ, T. Geganio, P. Minutio, Romana reſpubl. optimum traxit ſubſidium; aderat enim illo anno, graue nimis malum, quo nullum in Vita crudelius eſt, Vrbemque inuaſerat, dira fames, Quiritibus, lucis vſuram ademptura, & in capite ſuo Orbem affectura, niſi diues frugum terra illa, triſti fame laborantibus, frumenti abundantiâ ſuccurriſſet, telumque haſtâ Achillis nocentius retudiſſet. Nomen tam feracis feliciſque Regionis fortaſſe requiritis? haud mora. Hetruria aut Thuſcia eſt,

quæ ad Liguri am vſque protenſa, Tyberis littoribus coronatur. Locum natalem, Seraphici Doctoris, in ea inueſtigatis? Balneoregium eſt, cæteris Vrbibus Italiæ, Vrbs laudabilior, tanti Viri, tanti Doctoris natalibus, illuſtris & præclara. Haud potuerat, cum non debuerat Purpuratus Eccleſiæ Princeps qui tot gentium populorumque Saluti, tot Seraphici Patris Filiorum tutelæ, atque regimini parabatur naſci, alio in loco, præter regio nomine adornatum ac ſplendidum, Cui non niſi Regia Sapientum capita Vetuſtiſſimè parere, in vſu fuit, neque noſtris temporibus intermiſſum; regius quippe illos concernit honos, quibus pro diademate Sapientia, pro Sceptro doctrina, amplum in cæteros facit dominium. Ergo in tam Nobili loco, Diuinus Infans, è pio Parentum Voto, commune terrarum beneficium, Solem, adſpexit fortunatus, gemmaſque futuri fructus prodromas, ad ſingulare Progenitorum Solamen, vere ipſo, & florida in fantiæ Maieſtate, proferēs illuſtri ſuo, ſuorumq́; Sanguini pollicit⁹ eſt, famam immarceſcibilem. Fundebantur certatim à Cognatis, ab amicis, a Vicinis Vota, darent implorati Superi, vt labentia tempora, tantam lætitiam, præcipiti ſecum curſu non traherent, vt Seneſcentes anni, Vitam, vigorem, maturo ſolatio non auferrent, vt exinde Lares patrij & ipſum exorabile Numen, magis magiſque extolleretur. Natalis ille, Diui Infantis, Votorum quoque, gaudiorum ac Feſtiuæ Serenitatis, dextris omnibus, beneque cum Spe & deſiderio ominantibus, natalis fuit. Præuidebant tempeſtiuè, nec temere, quia Diuino quodam vaticinante afflati Spiritu, exultantes animi, quam in bene proceram, auguſtam, & fructiferam arborem, tenella planta, ad Sæculi ſtuporem, erat abitura. Iam tenere videbantur manibus, quod ſolis comprehenderant animis, iam videbant quod poſt videndum erat, clariſſimis, Diuini Iudicij, ſignis id poſcentibns; quæ vbi hærent, aut præcedunt, præſtolantium haud illudunt ſolertiæ. Cæterùm cum Superi occulta vi & ordinatione, nulla hominum tripudia, ita perfectè hilaritatis plena, in Scenam produci voluerunt, quin eis caſus luctusuè, lugubres nænias accinat: inueſtigabili Diuûm Conſilio, tenella Laurus, languere, marceſcere, Vigorem viroremque infantilem amittere cæpit. Validus morbus, acerrimi dolores, gracile puſionis corpuſculum, & animos amantium Parentum affligunt exercentque. Iam cælo deſtinatus puer, innocentiâ non Dædalo, alas

ſub-

Subminiſtrante, ad promiſſam paruulis hæreditatem, videtur euolare. fitque in cunis, Cathedram non opperiens Doctor, efficaciter mouentibus, & compendioſis præceptis: opere ſcilicet non Verbo, per angusta ad augusta, rectum tutumq; iter eſſe docendo. Commoda ſane doctrina è factis eruta, factis confirmata. Spectat non ſine lacrymis Pientiſſima Mater Ritela, alterum infantem Herculem, non vtique geminos Serpentes, à Iunone obiectos elidentem, ſed cum ſæuis doloribus, occulta vi fatorum, immiſis luctantem, pares animo concipiens dolores. aduocat protinus in ſubſidium, tyroni athletæ, auxiliarem Medicorum manum, conſulit, obſecrat, ſciſcitatur ſedulò, ac ſeriò, quo modo Vnica ſolatij Spes, Votorum meta, curarum inuitamentum, Vehementiam morbi poſſit eluctari. Fruſtra tamen gemebunda (aliter fatis agentibus) litat Æſculapio; fruſtra pretioſam Galeni, calide implorat opem, ignara morbum illum gradum eſſe, ad plurimorum Salutem reſtaurandam. Præſtantius è Cæleſti myropolio leuamen, tum mæroris Materni, tum ægritudinis filialis aucupatur, magìsq; probatum facit experimentum: dum profundæ abjectionis oraculum, Diuum Franciſum, non Delphicum, aut Clarium Apollinem, deceptorijs clarum vaticinijs, ſupplex veloxq; adit, demiſſo exorat vultu, ſtillantes lachrymas, pondera interdum vocis habentes fundit, quibus eloquenter pro domo ſua perorantibus, finem oratorum, vel in exordio flebili, apud Seraphicum Patriarcham conſequitur: carum pignus, voto Religionis, ei oppignorat, nouellam plantam, Horto Seraphico pollicetur omninò inſerendam. Audit hæc, perfectiſſimum Euangelicæ perfectionis exemplar, Divus Minorum Pater, totusq; inexſtincto Dei ardens amore, lachrymis & votis Ritelæ accenditur, mentem terrenis inſuetam, eleuat ad Cælum, ægroto Valetudinem firmam, apud largitorem Salutis Deum efflagitaturus: auditæ illico preces accelerant donum, oranteſque erudiunt, Deum non lento paſſu, nec pedetentim, in dando progredi, vbi beneficium non fore otioſum nouit. Affulſit diuinitus, antidotum, Salus infirmo cælitus delapſa eſt, iacentemque firmauit infantem, firmatum erexit; vnde piorum gemitus Parentum, in feſtiuos vertitur applauſus, mæror in lætitiã: Spes obtinendæ puerilis ſanitatis, in obtentam poſſeſſionem, ſqualor & luctus, in amænas, hilares, tum vultûs, tum animi formas demigrat repen-

te, nubila in Phæbum radientem abeunt: & hæc metamorphosis tantò carior, quantò ipse casus fuerit acerbior: bonum enim multa solicitudine quæsitum, ac tandem serò repertum, vt tenetur firmius ita amatur intentiùs, infinitâ amantem perfundens lætitiâ. Profuit tamen Diuo Infanti infirmari, profuit tenellam Laurum vehementi turbine ægritudinis agitari: nam infirma hæc, mundi, ad fortium cõfusionem, ad onus plusquam Atlanticum, Angelicis humeris formidandum, à Deo electa sunt, nimirum ad Romanam purpuram, Albanensem Infulam, Doctoralem Cathedram, ac arduum, numerosissimi, toto orbe Seraphici Ordinis, regimen & gubernium assumpta: quæ onera virtutis & laboris præmia, vt dignè Diuus BONAVENTVRA receperat; ita multò digniùs sustinuit, ad doctrinam posteris, non se indignum dignitatibus, virtutis inquisitione, repertum fuisse; etsi alij plerumque dignitatibus indigni, ab ipso honore sine prudenti delectu inueniantur. Verum ne permixtis partibus, in se implicetur, euoluaturque oratio, prima innocuæ vitæ elementa, sequentis Ideam ætatis, examini admoueamus, ponderatam iudicio oblaturi panegyrim, Sacræ Laurui, quæ voto Parentis, Soli iustitiæ dicata; ne sola per superstitionem elata vetustas, fabuloso Apollini, Laurum dicâsset; adeo pulcherrimè in solo patrio crescebat, in augustam laudabilium morum proceritatem assurgendo, vt sine vitiorum næuo, sine protervitatis stolone, iucundè floreret, nunquam orbata innocentiæ flore, aut spectabilium factorum viriditate, nunquam adusta frigoribus illis, quæ perniciosus Auerni Aquilo, non in tenellas modò plantas, egerit, sed in longæuas quoque arbores, impetuosis suetas resistere flatibus. Nihil porro in Sanctissimo Iuuene, non Sanctum, nihil religioso concentui dissonum, nihil à virtute, commendationem teneris, ornamentum & decus senibus, largiente alienum, puritate vitæ, veluti multorum luminum Argo, peruigili custode, vel lyncei reperirent oculi. Nullæ deliciarum illecebræ, non praui & proni ad licentiam mores, non in vetita nisus, non ad negata cupido, non discendi satietas, commune discentibus vitium, non tumentis fortunæ vlla, in iuuenili animo impressa, per aliorum contemptum, vestigia, poterant inuestigari. Indoles eximia, & suaui temperamento, exactiùs quàm in roseo Ganymede, vel picto Adonide, concinnata forma, mores grauiter officiosi, incessus & aspectus legibus modestiæ

& pu-

& pudicitiæ obſequens ad amuſsim, Angelum non hominem arguebat, nonque inania parentum vota & deſideria euidenti argumento demonſtrabat. apparuit in florido Vere, quid Sacra Laurus, erat latura in æſtate autumnouè. Felix arbor, culturam omnem & tempus præueniens, diſtantiam Speratorum, properatis fructibus, eluſit vel accelerauit, illo tempore autumnando, quo vix alijs vernare conceſſum eſt; Virtus enim nunquam & nullibi otioſa, dies nec vocat ad cenſum, nec exſpectat, cui ſatis diu, cum ſatis bene: deſidis ingenij eſt, moræ veluti teſtitudini inſiſtere, tardoq; greſſu, ad nobilia facta ſerpere, Neſtereos optando annos, quaſi longa ſeries annorum virtutem pariat, & ille probus qui diuturnus, canitiem pro candore gerens, veterumque oſtentans memoriam. Celeritatem ad bonum, moram in bono adamauerat D. Doctor, diſcebat iuuenis literas, & illas confeſtim docere potuit, proficiebat in ſtudijs, defectu pietatis vacuus, ipſiſque eruditoribus ſuis, fiebat Schola, vbi ea diſcerent quæ docerent, ea acciperent quæ traderent. Ita magnus parui corporis, hoſpes animus, in ſublimem eruditionis verticem, eò citiùs attollebatur, quò verius ſit, generoſa pectora odiſſe, in præclarè agendis, ignauiam, ſerijs inimicam, oſcitantibus pernicioſam. Neſcit equidem tarda molimina, virtus Spiritus Sancti, cui hereditariam ſedem, proprium domicilium intra ſe, Sacer Iuuenis, à teneris formauerat, exhibueratue. Proh quanta maturitas! vel in herba properæ Virtutis, decades, myriades annorum minimè præſtolantis, ne aliquo inſtanti nihil agere videretur, cum etiam immortalia momentis conſtent, & puncta obſeruent. O Diuine Adoleſcens! haud ſatis tenui conſtat Oratori, quod nomen tua præcelſa mereatur dignitas: an ex præſenti flore? an ex futuro fructu vocandus ſis? quanquam in Te vtrumq; eminet, vtroque commendaris; profers in flore fructum, & in fructu germinas flores, ne ſpinoſa virtus, odoriferis careret floribus. Nulla dies cæteris, ſinè linea, Tibi nulla hora, parua loquor, nullum momentum, ſinè noua virtutum acceſſione aut abijt, aut perijt. minimum otium maximum diſpendium cenſuiſti, talemque iacturam ſoli Epicureorum haræ, communē & propriam duxiſti, quos eliminat vndiq; virtus. Aleret vtinam noſtra ætas! plures eiuſmodi æſtimatores, qui tempori inæſtimabili, tam grande pretium poneret, profectò pauciores Phædras & Ægiſtos, vituperio damnaret, Hippoly-

polytis vbique, & Penelopis vbique locum & panegyrim datura. Atque hîc veritate duce, comite conſcientia fateor, à florido roſeoq; Lauri Seraphicæ Vere, maturis de ſe laudum frugibus, ſpatioſum, infecundæ facundiæ meæ aperiri campum, in quem non tam diſertè, vt clari ſolent Oratores, quàm piè, vt mea fert modica eloquentia, excurrere vellem, & per eum non vago, aut curioſo aſpectu, oculos circumferre, ſed inſtar ſedulæ apis, è floribus, ſacrarum actionum, ambroſiam ſuauiſſimæ virtutis colligere, intraq; receſſus animi profundiùs recondere, niſi me à rectè intento curſu, intentius reuocaret, frugifera triumphalis Arboris æſtas, quam non in amplo auguſtæ proſapiæ vireto peregit, ſed in maximo, religione, literis, gloriâ, Ordinis Minorum Paradiſo, hortis Heſperidum, Adonidis, Alcinoi, Tantali, tum per prouerbia plantatis, tum in ſola figmentorum area fabricatis, longè venuſtiore, multùmq; præſtantiore, cui tantum laudis accedit, quantum tribuitur veritatis: optimas fruges ſuas, commoda, maieſtatemué, toto orbe, totque ſæculorum experientiâ approbante, conteſtante. Ecquæ ſacræ Arbori, profanas faſtidienti & fugienti terras, habilior, ad vberiùs fructificandum tellus? quod à prima maledictione ſparſa, per vniuerſum, primi tranſgreſſoris malo remotius ſolum? quis hortus ſpinarum & veprium, quibus animæ mortalium ſauciantur exanimanturue, magis inanis, magisq; expers, à bene volentibus ſuperis potuit deſtinari? præter Seraphicum Paradisũ quem nunquã cunctis animantibꝰ, callidior ſerpẽs, letali, morfero, infernalique veneno infecit, nunquam venuſtatem illius, egregia Cæleſtium Cuſtodum fide obſiſtente, auſus eſt cõtaminare, nunquam miram fecunditatem peruertere abolereque. Procul hinc exulat dolus, perfidia, ſuperbaque ignorantia, temerarijs ſubnixa auſibus, viget intaminata ſinceritas, illibata fides, humilis, ſubtilis tamen ſcientia; quàm maximè moratur, & dilatatur; creſcit amor ſpontaneæ egeſtatis, multiplicatur juſtitia, zelusque religionis, virent jucundè martyrij palmæ, quæ impoſitis tormentorum oneribus non deprimuntur, ſed ipſa aduerſorum mole, ſurſum eriguntur & aſſurgunt nimium laudabiles. O ſedem gratiarum! ô terram promiſſionis, ad quam triumphantium decus, victoriarum inſigne, vincentium gloria meruit transferri. O delicium diuinitatis! præſtantium, ad prodigium multitudine arborum, nitentium ad gratiam copiâ florum,

florum, egregiè conſpicuum, ſacra tamen Lauro, ſymbolo intermi-natæ æternitatis, maximè glorioſum; excepiſti intra Tuas areas, cæ-leſtem plantam, cælis terriſque fructiferam, famis obicem, famæ nul-latenus in Te areſcentis: admiſiſti illam ad Tui fæcunditatem ſoli, vt digna Cedro acta Tua, diuturnæ Laurui, in triumphum Tuum perpetuum, inſculperentur: vtq; eâ coronarentur, tot Sereniſsimo-rum Regum, Illuſtriſſimorum Principum capita, quæ ſibi maiori du-xêre laudi, Tuis in porculetis florere, quàm in excelſo baſilico Thro-no fulgere, coruſcare, alijs non ſibi imperare, de alijs non de ſe trium-phare arrogantiùs, aliorumq; periculis, tanquam pennis in ſublime gloriæ ferri. Porrò optimè itur ad immortalia, dum præſentibus bo-nis labilibus, non inhiatur, victoriaq; domeſticæ prauitatis, non ho-ſtium attenditur, atque tantò honorificētiùs aſcenditur ad ſuprema, quantò libentiùs deſcenditur ad ima; ille ſane induſtrius & prudens eſt, cui præſtantiùs eſt nolle præeſſe cùm poſſit, & poſſe ſubeſſe cùm nolit, intermiſſo proprio arbitrio, cauſâque interitûs licentiâ. Bene igitur Tecū actū eſt, Diuiniſsima Laurus, fertile Seraphicum, pro pa-trio nacta es ſolum, ne domui tantùm & Penatibus deberes, quod Cœlo, quod D. Franciſco debes, & vt maiora in fertiliori agro dares incrementa, deſiderijs plurimorum reſponſura, ne ſeriam futurorum originem, & firmata bonæ indolis omina, inanis exitus exciperet, vi-liſq; euentus terminaret. Neque eluſa eſt, Tuorum de Te exſpecta-tio, attuliſti tot ſolatia in effectu, quot vix alijs, feruente affectu con-tigit optare in animo, edidiſti tot ſpecimina virtutum, quot dubiè à quopiam geri poſſunt, præſtariué; ſterilitatis nota, tàm longè à Te aberat, quàm intimè aderat indeficiens bonorum fecunditas: probas felici vbertate fructuum, maledictam non eſſe in opere terram, quæ non iam ſpinas & tribulos germinat, ſed Te Sacram gerit Laurum, proficuè tranſplantatam. Ampliùs ego non vocabo in dubiū, quod à ſolertibus arcanorum naturæ, eiusq; induſtriæ ſcrutatoribus, fre-quenti acceptum eſt, tum exemplo, tum experimento: tranſplātatas ſtirpes, ob peregrinæ telluris fecunditatem, proceriùs adoleſcere, al-tiùs proſilire, & vberiùs fructificare, plantâ Perſicâ apud Plinium, Columellam, fidem rei faciente, hac tamen veriùs atque euidentiùs, Veſtra Lauro, Religioſiſſimi Patres, apud omnes, mole ſcientiarum inſignes, veritatem roborante; quæ vbi primùm Veſtro, votis con-

 cluſo

cluſo inſita eſt Horto; mox in altum contemplationis faſtigium aſſurrexit, ad ima humilitatis ſubſidendo, protinus ſpecioſas frondes diſtinctarum virtutum operâ, in ſpatioſo, ad incrementum numeroſæ gloriæ, Vireto exporrexit; veluti inuento Symboliographi, Oliuam de Oliueto, tranſlatam grandioresq; proferentem fructus pingentis, cum lemmate: Vult ſpatium virtus; infallibilem fidem cõparatura, Satoriſque ſui, donorum immenſitatẽ per vniuerſum, diffuſam, clariùs locutura. Iungebat Pientiſsimus Doctor artibus pietatem, Diuinorum ſpeculationi, virtutum praxim, religioſæ auſteritati, cæleſtia oblectamenta, diurnis nocturniſque laboribus, ſpem mercedis copioſæ, ab vniuerſali, deſudantium pro æternitate, Præmiatore, obtinendæ; conſummatæ erudititoni, tenuem de priuato ſcire, ſenſum; credo, docturus vanis laborantes opinionibus ſciolos, qui vix noſſe aliquid, in ſcholis, & ad ripam Hippocrenes obrepere incipiunt; jam ſe omniſcios, in fundo Democriti, hærere conſiſtereué, turpi arrogantia potati, jactant friuolè, neſcij ignarique exactam & perfectã ſcientiã, in ſola humili mente ab elatis ideis vacua, ſoliũ ſibi fabricâſſe: non enim turgidus vultus, ſuſpenſa per tumorem ſupercilia, non inflata, modica arte, eloquentia, & diſtincta interuallis quadrupedantia verba, non grauis Scauri, vel Catonis inceſſus, non forma alicuius compti Adonidis, ſoluto pilo Brachmanem fingentis, & cirros per laſciuiã torquentis, *totamq; turbari rempubl: quàm molle caput, malentis*; non inquam talia, omnimodã congerunt doctrinam, nec verè doctum, eiuſmodi imbutũ vitijs potius, quàm diſciplinis, etiã bonarum artium rudibus valent perſuadere. Vilis informiſq; ad ſpeciem concha, magni pretij claudit intus vnionem, carè ſoluendum. at poma in Sodomorum aruis enata, ad aſpectum præſtantia, foriſque rubentia, introrſum, fumum & fuliginẽ alunt, quantùmq; recreant aſpectũ, tantùm inficiunt olfactum, vitioſam pulchritudinẽ & fucatum bonum, amoto deceptorio velamine, dum compreſſa reuelant; par equidem ſimileque ad ſcientiam & ad virtutem iter, quod nonniſi demiſſo teritur pede, nec arrogãtium capax eſt veſtigiorum. Sed quo tandẽ pio greſſu, humiliq; paſſu, D. Doctor peruenerit? ad alta, ad edita, tetræ non innixa, dum legentem ſcribentemuè cælum pro cathedra ſæpius ambiebat: maturiùs rapiens, quem feruentiùs incolam ſuum peroptabat; & ne à terra, tantæ bonorum capacitatis

incapa-

incapaci, ſacra poſſet inueſtigari prædá, euectam in ſublime, nubium obtentu velabat, ſacris tantùm Indigetibus, terreſtrem ſanctimoniã (ſi terreſtrẽ dicere fas eſt, quæ Seraphinorũ fuit æmula) dando in ſpectaculum. Cæterùm & Aquinaticum Solem, candidæ doctrinæ, penetrabili luce, etiam Angelorum legiones, abundantiſſimè illuminantem, Diuum Thomam Aquinatem (cui amplas impendi voveo laudes) hic cæli auſus nequiuit latere: lucidiſsimus enim Theologorũ oculus, peregrè ad intima innexum ſibi familiaritate Seraphicum Doctorem, veniens; vbi anguſtis præſentem laribus, auguſtum herum, non deprehendiſſet; illico perſpicaciter, ſpatioſo inuectũ cælo, intra nubium congeriẽ, deuotiſſimè morari, contemplari, hærere circa ſtupendam Seraphici Patris ſui, vitam, aduertit: nec ſinens ignorare alios, quod ſcire nimis jucundum ſibi duxit, cæleſti elogio, quia Angelico, Angelicus Doctor monſtrauit Seraphicum, inter aſtra morantem, oreque ſacro, Diuum proclamauit: *Sinamus Sanctum, pro Sancto laborare.* Magna illuſtribus Viris felicitas atq; laus eſt, à laudato Viro laudari; quidni maior erit? à Sancto, titulo Sancti perhiberi. Impatienter indoluit minor ſui, quàm totius Orbis domitor, ad ſimulacrũ Achillis, fortunã non virtutem inuidens Macedo, iuuenili indoli, Homerum maturum præconem egregiè factorum obtigiſſe: quaſi tacita virtus, cum ſuis actoribus, in vmbris ſepulchralibus, lateret æternùm, niſi vocali calamo, aut ſonoro eloquio, in lucem publicam, comite fama perenni deduceretur. torqueat iniquos, ambitioſus liuor. Vehementiori ego lætitiâ geſtio, præ Macedonis mærore, vel exinde, quod Seraphicæ virtuti celebrandæ, pluſquàm Angelica vox, nam Aquinatica, admiranda ordinatione, ſemel in æternitate loquentis Dei, contigerit. Digniorem certè Seraphica dignitas, haud potuit in terris habuiſſe laudatorem; ſi eo caruiſſet, quem habere ipſi Numini glorioſum eſt, illius *Bene ſcripſiſſe*, in grande ſuum vſurpando encomium. Ita planè ſummæ eruditionis capax, humilis de ſe ſenſus, actaq; heroica, Pientiſſimi Doctoris, extolli merebantur, tantòque altiùs, Diuinitatis curâ aſſurgere, quantò profundiùs, grandi pietate, onuſta in imis hærebant. Repere humi tam præcelſa Arbor haud debuit, quæ ad cælum vſque decenter pertingit, illud vertice pandens, an expugnans? tot inſignibus deuotè bellantium, armata ornataué, quot frondibus circumdata, latè diffuſa-

fusarum per vtrumque orbem, virtutum, quibus alta Beatorum sedes obsidetur, capitur, possideturque. Fuerit inter fabularum sacra, solenne illud; pauidam, præ metu amittendi pudoris, Daphnem, ad ripas, Penei fluminis, in virentem Laurum, famulante integri animi decore, conuersam; è ramis proprijs, Phœbi pharetræ, sagittas identidem subministrasse, in pœnam an trophæum? quod lucis parentem, radiante forma oppugnauerat, atque expugnauerat. E veritatis oraculo depromptum est, Laurum Seraphicam, ad quinque stigmaticos Fontes, Gloriosi Patriarchæ insitam, in ardentium, superno amore, plenam Pharetram, sagittarum, demigrasse, in primordijs adhuc suæ transplantationis, ne stuperet, paruorum quandoq; magnus admirator Orbis, Megarensem Oleastrum, arma peperisse; aut vnam tantùm esse fraxinum, hastæ Achilli, fabricandæ peridoneam, cæteras foco dignas: cùm & Seraphica Laurus, armorum fecunditate, superet fastum antiquitatis, & nostrum sæculum, ab inuidentia prioris liberet, fidemque vix aliter credendis, faciat narratis. Augusta Minorum Familia, maximum ad Te cælorum dominium deuolutum est indubitanter, armis Seraphicis occupasti illud, quod non nisi violentis, in prædam erat cessurum, totiesque gigantæum piè instauras duellum, quoties Te Cœlesti accingis Pharetræ, & jacula ex illamet deprompta, zelo religionis tincta, ad omnibus exoptatam æternitatis metam, Deum, dirigis, victrix semper gloriosa. Palmaris illa Pharetra, præsagium erat, Divo Bonaventuræ, suscipiendi belli contra innumeram hostium multitudinem. Eduxerat Herebi Dux, vesanas hæresum turmas, Vaticano Antistiti rebelles, durâ ignorantiâ, & obstinata proteruitate succinctas, quibus vsitatum est, frequentes triumphantibus in fide, proferre palmas, errando cadendoué, nullas sibi certando & ignominiosè vbiq; terga dando; decet enim & conueniens est, nullos habere triumphos, impia & offensiua bella. Iam pæne totus Oriens, errantium motu siderum, his fallentibus militabat monstris, jam repudiata luce Romana, in Schismatis vmbras proruebat, eò velociùs quò incautiùs. Objecit tam grandi malo, nulli non par magnitudini, eruditum magnanimumque pectus, Seraphico non Martio æstuans feruore, Pientissimus Doctor, Bellerephonte audacior, Hercule fortior, furentemque Chimæram atque multorum capitum Hydram, in acie Lugdunensi prostrauit attriuitque,

non mi-

non minùs gloriosè quàm proficuè. Piget pudetque referre, ab ambitiosa vetustate, arrogantes ludos, & laudes institutas ac instauratas fuisse Apollini, ob confossum sagittis, vnum serpentem, fortè puerili arundine conficiendum. Maiora equidem trophæa, pharetrato Doctori erigenda sunt, grandioribus ouantium plausibus, extollendus est, monstrorum ipsi etiam Alcidæ formidandorum, strenuus debellator, cui Scientia cum innocentia, valida fuêre arma: Cui vti forti in bellando, sic felici in vincendo heroi, Alexander Alensis, fortunâ non virtute Macedone minor, Arcum erexit triumphalem, cum illo immortali elogio; *Verus Israelita, in quo Adam non peccauit.* Particulæ Diuinitatis, animæ humanæ, commorandi diuersorium permutanti, commodius, Empedocles præter Laurum non inscripsit hospitium, igneo habitatori, igneum ratus conuenire domicilium, vt non tantùm rebus nomina, verùm & hospitibus diuersoria sint dignè accommoda. Totam ego rectiùs crediderim, Diuinitatem incolere LAVRVM SERAPHICAM, admirandis operibus, cæleste hospitem manifestè prodentibus, quæ prodigij nomen amitterent, si prodigiorum causam, authoremue intimum non haberent. Augustius sanè Deo, qui ignis consumens est, dari in terris haud poterat domicilium, quàm triumphalis Arbor vehementi in Deum ardens amore. Iam igneum rubum, non amabit incolere Numen, cùm excelsa Minorum ignescens Laurus, tantæ Majestatis capax videatur. Nec Latium præficiet vnquam, perpetuò igni custodiendo Vestales, dum commodè satis, intra sacram foueatur Laurum, & cinereis pro cineribus tegatur operimentis. Ingentia hæc sunt Magnæ Minorum Arboris incrementa, emolumentaué, non minora adhuc imô paria si non maiora, maturus autumnus in scenam producit: quorum tanta copia, tantaque vbertas est, vt non percenseri modò obiter: sed neque in cumulum, inconditâ eloquij mei operâ, congeri possint sufficienter. excedunt illa omnem ingenij vim, omnem laborem, & studium, multæ artis Oratorum, & totis præcordijs Apollinem spirantium Vatum, superant præconia, congestasque voce, stylo, ingenio, laudes; porrò magis extolluntur, dum alto deuouentur silentio, & plus commendationis habent, ex mera admiratione, quàm ex ampla oratione. Quid simile fecunda, in noua Hispania arbor, distinctis abundans fructibus, & veluti penu quoddam, è terræ visceribus,

ad ſubmouendam famem exortum, parturire poteſt? poſtquã hæc Seraphica comparuit; ramos in cælum vſque diffundens. Transferat illam, ad celſum Heliconis verticem, ſacer Pöéta, eius vbertatem celebret vberiùs.

Arbor mel pluit, arbor aquas, pluit arbor Iachum;
Fila parit arbos, & ſibi gignit acum.

Cæterùm hæc, multò vberiores Eccleſiæ, vtiliores Religioni protulit fructus, ad ſanitatem, non tamen ad ſatietatẽ, cum proficua nutriant non exſatient. Teſtor illa Doctoris Seraphici, ægris Fratribus præſtita ſalutifera obſequia, quæ nec ab alijs intercipi poterant, nec literarum impediri ſtudijs, maioremq; ſe aucupari in doctrina, arbitrabatur profectum, dum ad abiecta deſcendendo obſequia, & pijs intendendo animum curis, Fonti ſapientiæ famularetur, aquis profundæ potus ſcientiæ, quæ tanta in eo effulſerat, vt communis applauſûs ſuffragio, ad ſummum docendi munus, inter Pariſienſis Vniverſitatis Theologos, eueheretur glorioſè, ſeptimo tranſplantationis anno, vt pote exactum ſeptem Sapientum compendium, illuſtreque ſeptem donorum, Diuiniſſimi Pneumatis domicilium, eruditionis nitore, probitatis fulgore, oculis animiſque omnium, in morem candentis Phœbi præfulgens mirificè, illuſtrans, & accendẽs prodigioſè; ne ſola lux ardore deſtituta tam inutilis accedentibus, quàm iucunda Spectantibus videretur. Nihil enim Seraphicus Doctor (loquitur Pariſienſe Oraculum Ioannes Gerſon) docuit, quod non inflammaret: nihil in libros doctorali ſtylo retulit, quod non prius æquè in ſuo, atque aliorum animo exararet, nihil cæleſti notauit charactere, quod peruerſas Acherontis non obliteraret artes, nihil publicæ conſecrauit luci, quod non fugaret ignorantiæ errorumuè tenebras, aut quod cæcutientes, in fide non affatim illuſtraret tenebriones, nihil demum piè ſolerti ſcrutatus eſt mente, quod integerrimis non depingeret moribus, quodué imitandis non exprimeret operibꝰ; prius ille fecit quàm docuit, factis verba præuenientibus, prius in termino conſtitit, quàm viam ingreſſus fuerit. Vbique Seraphinum egit, cum nullibi non arderet, nullibi prauitatis latebras non illuminando detegeret. Seraphicæ illud debetur Lauro, quod Stephanon Alexandri, dictæ tribuerat Plinius: eius nimirum baccarum guſtu, os gutturque accenſum æſtuare, igneamque naturam, nunquam non in motu, victrici arbori ineſ-

inesse, attestari. Porrò extra sensum positum crediderim, qui non sentiret Seraphicam vehementiori præstare vi, & qui proteruè diffidendo, in ea Diuinitatis flammas extinguere præsumeret auderetué: vel Eusebio tacente, præstantiam illius acta mirifica loquuntur abundè; accendit illa spiritum, nec inanibus dat locum fauillis, auget calorem diuinum, ampliat ardorem, sed in superos, his verò ardere omninò beatum est. Obriguerat plusquam Boreali frigore, Orientalis Ecclesia, atque æternis iam pæne refouenda erat ignibus cum Palæologo Cæsare, nisi eam, ignea hæc Arbor, inflammante salubriter doctrina, accendisset, & frigidam nimium in amore & obedientia, filiam ad amplexus Romanæ Matris, & prompta obsequia feliciter pertraxisset. O igneam, ô paciferam Laurum! ex integro ab illa degenerem, quæ in tumulo Bebrycum Regis Amyci, circa Heracleam, in littore Ponti enata, & à præternauigantibus decerpta, jurgia & lites pariendo, in profundo dissensionum mergit nautas, nisi protinus, tam exitialis arbor, è nauibus eijciatur, in victimam Neptuno consecranda. At Seraphica dum in Cymba Vaticana, vigeret ac floreret, Schismatum turbines, hæresum fluctus, insurgentium contra Romanum Promontorium procellas, tumentemque iram sopiebat suauiter, depellebat constanter, amorem vnionemque tum animorum, tum sensuum, inter natos veræ Romanæ Matris excitabat; expetenda ob firmam fortunam rebuspublicis bona. Nobiles Delphi, maiorem suis terris adstruant nobilitatem, quàm eis germinauit Laurus Delphica maximis baccis, è viridi rubentibus, Romanis olim triumphatoribus è multarum congerie, selecta ad coronamẽtum. Pompeius Lenæus, celebret aliam Mustacem dictam, folio maximo, gratanter albicante, & veluti niueum liliorum candorem æmulante. His tamen præstat Seraphica, non frugibus mòdò, sed quouis eximio colore, puritatem, innocentiam, illibatumq; candorem, non simulanter ad speciem exprimente, tantûmque ab illis differt, quantùm Libana Cedrus, ab arundine, leui vento, annuente, cernitur distare. Albicat sacra Laurus, candidi æmula lilij, Eminentissimo Albanensis Infulæ nitore, rubet iucundè, tum natiuâ verecundiâ, tum sacræ Romanæ purpuræ murice, cunctos ad se hospitaliter, affabiliter pertrahente, vmbras notasué, alienæ calamitatis, & duræ necessitatis, efficaciter dissipante, illustrante. Ecquem verò, candor

 & ru-

& rubor ille, Pientiſſimo Doctori concolor, illa patrandorum vis, & promptitudo miraculorum, non cepiſſet, illæ ex ore infantium (qui abſque lumine & vita, publicam lucem exanimes ſalutaturi erant, ni prodigioſæ ſuppetiæ D. Bonauenturæ periclitantibus aduenîſsent, ac illuxiſsent) perfectæ laudes, firmiùs aureâ Gallicani Herculis catenâ ad amorē laudati non pertraxiſſent? quem vultûs maieſtas & amœnitas, non pellexiſſet, oris & eloquij ſuauitas non tenuiſſet? Saxa ipſa profectò potentiùs Amphione, ad ſui venerationem, caritatem, & ſpem accipiendi per cœleſtem liberalitatem cuiuſuis beneficij permouiſſet. In quo etſi omnia ſingularia fuerint, ita ſe tamen communem præbuerat omnibus, vt omnium ad beatam ſortem contendentium, felicitas: exulantium à ſpe melioris fortunæ ſolatijque, patria: delinquentium, in pœna Pater: inferiorum, in obſequijs Seruus: eſſet potius, quàm videretur. Non ego aliam, malè dato exemplo Tiberij repudiato, Laurum, tonante cœlo, ad defendens protegenſque à fulminibus, coronamentum requirerem, expoſceremué. Seraphica vtique Laurus, contra fulgurantes cælorum iras, & letifera aduerſorum iacula, ſcutum, tutamen, & aſylum eſt. Neque adeo communem commodamue, regis Babyloniorum ſublimis, lateque ramos diffundens arbor, æſtum cælique iniurias declinantibus: neque ſiti fameque preſſis, munifica altrix, Indica arbor apud Cabillauium, liberalem, quàm Laurus Seraphica, Vniuerſis ope & operâ Diuinâ indigentibus exhibet ſeſe popularem, vtilem atque auxiliarem. Accurritur vndique, & ſub ſuaui protectionis vmbra, dulce amaris ob diuturnam malorum tolerantiam animis, capitur refrigerium, protegunt folia, alunt baccæ, & accendentes pectora Diuinæ Scientiæ fructus; nemo hinc ſterili mente, frigeſcente animo, vacuis manibus regreditur, quiſque ditatus, & dotatus, non labilis & interituræ gratitudinis, in grato pectore, Symbolicum anathema ponit; inflammat & nutrit. nimirum ignem ſpirante doctrina & copioſis, exemplaris ſanctimoniæ, atque prodigioſæ munificentiæ alimentis. Verùm jam non ex vano vereor, ne amœnam & amabilem Laurum loquendo, Spinas tædij & tædioſæ aculeos moræ, tam auribus quàm animis Audientium infigam, etſi Paradiſus hic per quem vmbratilis ſpatiatur oratio, ſpinarum expers eſt. Facio igitur, quod nautis, ad patrium properantibus littus, facere vſu venit; multas præclaras & excel-

excelsas, Sacræ Arboris dotes, silens prætereo, admirandas eius Virtutes, commodos plurimùm miseris succursus, parum Commoda Veneror taciturnitate: quemadmodum illi magnificas Vrbes, nec visas nec reuisas, passim prætereunt, vt quantocyus Ithacam cum Vlysse, Colchida cum Iasone attingere possint ac tenere. Plurimum me tamen, in tam læta Festiuitate angit afficitque, temporis angustia, singularis obex satagenti deprædicare abundè, tanti Doctoris acta, & Virtutes, quarum censui & numero, integra sæcula, innumerabilesque anni essent exoptandi. Quæ enim mortalis par esse potest facundia, Diuinæ illius sanctimoniæ? feruidæ in Deum & Almam Dei Parentem pietati amorique? maximæ apud summos Pontifices, Clementem IV, Gregorium X. authoritati apud Vniuersos gratiæ singulari, claritatiue? Nam Angelorum pane, per Angelicas manus pasci, sanctitatis est. Cultum Numinis, & Augustissimæ Cælorum Imperatricis, Verbo & Scripto feruenter promouere; pietatis. In Senatu Cardinalium, orthodoxis adesse consilijs, & Lugdunensi præesse Concilio, apud Summos Pontifices, authoritatis. horrenda pestiferaué monstra ab horto Seraphico, armis apologeticis potentiùs abigere, ordinem in Ordine facere, facta Prouinciarum prudenti diuisione, Regulam adæquato menti D. Patriarchæ commento adornare; prouidentiæ. gloriæ postremò & claritatis est, fulgenti Eboracensi pallio Archiepiscopali, vmbratilem religiosum præferre cucullum; suum æquè ac Seraphici nominis decus; præstantiâ Diuinorum operum cumulare. Operæ pretium erat, sata iam in campis Elisijs Arbor, ad æuiternum nomen tuum, entheum quempiam, rostra hæc conscendisse encomiastem, qui Tullium aut Demosthenem per metempsychosim agens, Angelicæ innocentiæ tuæ candorem, immarcescibilis probitatis virorem, ardentis quia Seraphici, in Superos, amoris ruborem, Voluminum copiam, & censum, augustorum operum vbertatem, vberrimâ dicendi copiâ, comprehenderet enarraret, & veluti canora resonantis, vbiuis gentium, eloquentiæ tuba intonaret; vel vt vox clamantis in Seraphico Paradiso, Te Laurum Seraphicam, nunquam hyemi, & frigoribus gelidæ culpæ obnoxiam; nam semper jucundè virentem, semper vberiùs fructificantem, immortali, vniuersæ mortalitati, elogio, vt disertè ita honorificè promulgaret, amplissimum honorem tuum, ampliùs dilata-

lataret; quanquam vlteriùs protendi nequit, cælo occupato. Dabis veniam piæ temeritati meæ Pientissime Doctor, quod pro laudibus Tuis, meram Harpocrati victimam obtulerim: nulli siquidem pius conatus, qualisqualis fuerit, vituperio aut noxæ habetur, & magna quoque dum in sublimibus seu fulgent, seu florent fastigijs, quocunque modo adorare, venerari, semper gloriosum est adorantibus, decorum & pulchum adoratis. Scio Te ô frugifera Arbos! nimium dilecta Deo, dilecta Augustissimæ Cœlorum Reginæ, in nunquam morituræ, eminenti area gloriæ consistere. Scio Te in Supremo laudum cacumine, ita florere, vt latere ob splendoris amplitudinem, orbi ignota esse ob frugum gloriam nullatenus posis; Illud igitur deuoti pectoris anathema, in beneficis ramis Tuis, supplex appendo, quod feruidus comparauit affectus; Laurum videlicet Jagellonicam diu Lechiæ, adorna & cõserua; vigebit illa, Tuo præcelso vigore refecta, virebit Tuo cœlesti recreata virore; Commoda Te ferventibus votis, rerumque Satorem Parnassi Jagellonici Servatorem redde, vt quantò diuturnior, tantò præstantior vireat ac floreat æternùm deuotus Tibi, Tuæque Seraphicæ Religioni.

D. I X I.